



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Ioannis Gerardi initia. n. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

à Sanctitate sua nuper editam. Et cum præ mea debilitate alias corporales pœnitentias subire nequeam, Rosarium Beatissimæ Virginis *Mariæ* vnâ cum septem Psalmis pœnitentialibus & Litanij, singulis diebus (diuina me adiuuante gratia) per totum hoc tempus quadragesimale recitare decreui, modò vitæ viresque mihi suppetant, quod iudicio Confessoris mei relinquo. Redeamus nunc ad *Personium*.

I X Domestica disciplina Seminariorum mittendorumque in Angliam Sacerdotum cura immediatis Superioribus incumberebat, *Personio* tamen ab eorundem origine commendata fuerat vniuersalis quædam inspectio, tum volente *Aquauina*, tum Pontifice assentiente, vt cuius industria tam magnum subsidium peritura Angliæ fuerat comparatum eius sollicitudine foueretur perficereturque. Conatus vero plurium annorum felici successu, ac Religionis in ea imula non leui incremento comprobatus mentem *Claudio* iniecit, vt cum Rectoris Seminarij de vrbe officio in eum collato, in reliqua etiam autoritatem illi confirmaret sub nomine *Præfeti Missionis Anglicanæ*: Quæ Præfectura Societate ipsam præcipue eiusq. subditos in Seminarijs & in Anglia commorantes, & per varia Collegia dispersos Anglos spectaret, ab illis autem ad cæteros ad Seminaria pertinentes, aut in Anglia laborantes, quantum commode fieri posset, deriuaretur. Et anno quidem nonagesimo inchoata primum est illa administratio institutis Seminarijs Vallisoletano & Hispalensi; sexto verò post anno in eam formam est redacta quæ vsque ad nouæ Prouinciæ in Anglia erectæ initia annis prope triginta durauit floruitque; excogitatis regulis quibus Præfectus Romæ & per Hispanias & Belgium vice Præfeti inter se, & cum Prouincialibus cæterisque Superioribus ad tam præclaræ missionis bonum promouendum iunctis operis conuenirent. Quarum exemplar Regularum Anno sexcentesimo sexto confirmatarum hic adnectere operæ pretium visum est, vt quâ animorum coniunctione, quaque prudentiâ res tanta tam multis annis est administrata, posteritati commendetur.

Officium & Regulæ Præfeti Missionum, tam pro Missionis Societatis dirigenda, quàm pro Seminarijs Anglicanis, quæ Societatis regimini subsunt iuuandis.

**C** *Laudius Aquauina* Societatis Iesu Præpositus Generalis vniuersis Prouincialibus, Rectoribus, alijsque eiusdem Societatis Superioribus, & Religiosis, qui Anglicanæ Missionis iuuandæ occasionem habent, salutem in eo qui est vera salus.

Cum Anglicana Persecutio, præter hominum expectationem, ex diuina permissione, ad maiorem probationem & consummationem eorum qui sunt saluandi, prorogata sit; & sancta sedes Apostolica omnibus vijs & modis prouidendum censeat ne Sacerdotum Missiones deficiant; neue Catholici in tantis periculis positi Sacramentorum beneficio, alijsque Ecclesiasticis